



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 15. Quid sit differentia. Quotuplex, & qualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

268 Quartò dubitatur. An idem conceptus vniuersalis respectu aliquorum inferiorum possit esse genus, & respectu aliorum species? Dico posse. Nam animal, e. g. genus est respectu leonis & equi, species autem respectu huius, & illius animalis, quæ indiuidua eius sunt immediata, & incompleta iuxta dicta *quæst.* 13. ab omnique leone, & equo ponuntur distincta. Eundem quippe conceptum vniuersalem ad multas, variæque species vniuersalis posse spectare, iuxta diuersitatem inferiorum, ad quæ ut subiecta est comparabile *supra quæstione* 12. notauimus; sapèque insuper tangemus, & est certissimum.

269 Quintò dubitatur. An totum genus in vnicâ specie, & tota species in vnicò indiuiduo reperiri queat? Affirmant communiter Thomistæ; negant communiter Nominales, & affectæ. Ego utroque compono dicens conceptum genericum, vt animal, integrum formaliter, & logicè in quâvis specie reperiri. Integrum verò materialiter, & phylicè minime. Quia formaliter, & logicè idem conceptus est in se, & in singulis speciebus, sicut materialiter, & phylicè, vt constat ex doctrinâ traditâ *supra quæst.* 6. *proposit.* 2. quæ ad rem recognoscenda est, non repetenda. An verò conceptus genericus proit à differentis præcisus æqualis perfectionis sit in omnibus, & singulis speciebus ita, quod tota harum inæqualitas à differentis solis nascatur, ex dicendis *suo loco* constabit, vbi de perfectione formalitatem in vniuersum differemus. Hac satis de specie. Quod autem hic de indiuiduo tractati solet, iam est tractatum à nobis in præcedentibus quæstionibus.

QVÆSTIO XV.

Quid sit differentia, quatuorplex, & qualis?

270 Circa primam quæstionis partem *differentia* propriâ suâ significatione actum differendi significat, quâ vnumquodque ab alio, aut etiam à se ipso differre dicitur: cum ipsius verbi *differre* verbale sit. Iam tamen non pro tali actu, sed pro fundamento, seu formâ, vnde ille nascitur, siue desumitur vsurpatur. Quo pacto accepta differentia alia essentialis est; alia accidentalis. Essentialis, quæ intrinsicè constituit essentiam eius, quod differt. Accidental, quæ essentia differentis iam adæquatè constituit extrinsecè accrescit; vnumquodque enim non solum per essentiam, sed etiam per accidentia adiuncta dicitur ab aliis differre. Accidental autem differentia alia est communis; alia propria. Communis dicitur, quæ pluribus conuenit essentis, atque adeo illis omnibus communis est. propria verò, quæ vni dumtaxat essentia conuenit, atque ita eius solius est propria. Quæ vtrique rursus in inseparabilem, seu necessariò annexam essentia, & separabilem, seu contingentem essentia diuidi potest. Et differentia quidem communis inseparabilis ipsa est essentia passio communis; separabilis autem commune accidens. Sicuti differentia propria inseparabilis ipsa est essentia proprietas; separabilis autem accidens proprium, iuxta diuisionem factam à nobis *supra quæst.* 7. accidentis prædicabilis latissimè sumpti, de quâ iterum edidit sermo *quæst.* 18. Vnde per species differentiam accidentalem tot insuper modis diuidi posse, quot accidens prædicabile, siue prædicabi-

le accidentale insuper etiam *quæst.* 7. citatâ diuisionem est.

Adhæc. Differentia tam accidental, quàm essentialis, iuxta diuisionem etiam prædicabilem ibidem traditam in physicam, & metaphysicam diuidenda est; ita, quod differentia physica dicatur, quæ realiter est distincta ab ente, quod facit differre: metaphysica autem, quæ à tali ente per rationem tantum distincta est; siue, quia est pars aut realiter, aut per rationem componens essentiam talis entis, quando est differentia essentialis: siue, quia est accidens aut realiter, aut per rationem adiunctum eiusmodi essentia, quando est accidental. Cæterum in præsentis quæstione potissimum agendum est nobis de differentia essentiali, quam Porphyrius, & eius affectæ propriissimam appellant. Diuidunt namque primâ diuisione differentiam in communem, propriam, & propriissimam, vocantes propriissimam essentialem, & comprehendentes accidentales sub propriâ, & communem; minus tamen bene, quàm oporteret, terminos istos applicantes, ac subdiuidentes, vt legenti textum Porphyrij post nostras diuisiones præuisas non obscure apparebit.

Vtrum autem differentia essentialis, & accidental, siue differentia communis, & propria, & propriissima vniuocè, vel analogicè tantum sub nomine differentia cadant, quæstio est, quam latè exagitant Logici, alij primum, alij secundum affirmantes, vt videre est apud Conimbricenses *cap. de specie, quæstione* 1. *artic.* 2. & apud Rub. *ibidem quæst.* 2. Ego summam dico primò; si forma, quæ differentia dicuntur, entitatiuè, seu materialiter accipiantur, sicque acceptæ differentia appellentur, eas quidem in tali nomine analogicè tantum, aut æquiuocè conuenire; quia vt sic nullatenus habent similitudinem sufficientem, vt in vnum conceptum sibi vniuersalem, & vniuocum per tale nomen significandum coire possint, cum alia sint substantia, alia accidentia, alia huius, alia alterius essentia, siue conceptus obiectiui, in quo Conimb. & Rub. & omnes conspirant. Si verò huiusmodi, formæ formaliter proit facientes differre sub nomine differentia cadant (vt re verâ de facto cadunt; siquidem ab actu, seu munere, quod exercent faciendi, vt res, quibus conueniunt ab aliis differant, differentia nomen sortita sunt.) Dico secundò. Adhuc vt sic differentiam essentialem, & accidentalem in nomine differentia analogicè conuenire. Accidentales verò inter se comparatas in nomine differentia accidental vniuocè. Primum probo; quia munus, seu actus faciendi differre competens differentia essentiali dissimilis est ex suo conceptu actui faciendi differre competenti differentia accidental; proindeque huiusmodi actus in vnum conceptum vniuersalem sibi, & vniuocum coire non possunt; & consequenter nec differentia essentialis, & differentia accidental proit denominata per ipsos. Esse autem prædictos actus ex suo conceptu dissimiles inde conspicitur, quia differentia essentialis differre facit vt pars intrinsicè constituens essentiam, quam facit differre. Accidental verò differre facit vt accidens extrinsecè adiunctum essentia, quam facit differre. Pars autem ad totum, & accidens ad subiectum non possunt non diuersimodè comparari; atque adeo diuersimodè concipi quoad ipsum actum faciendi differre, siue discriminandi totum ipsum, & subiectum ab aliis. Secundum autem probo oppositâ ratione,

ratione, quia nimirum omnia accidentia eodem modo sunt comparabilia ad subiectum, ut satis est notum, quandoquidem in hoc omnia conspirant, quod est esse subiecto adiuncta, siue illi accidentia. Atque adeo eodem modo sunt à nobis conceptibilia quoad actum, seu munus discriminandi subiectum, cui competant à cæteris, quæ non habent illa. Igitur in vnum conceptum discriminantis suum subiectum à cæteris coire possunt, qui subinde vniuocè significandus venit per voces *differentia accidentalis*, de factoque per illas significabitur.

273 Quærent deinde hîc Logici. An munus, siue actus faciendi differre conueniens cuilibet ex dictis differentiis sit in eis aliquid reale, vel potius aliquid rationis? Omisissis variis opinionibus, dico huiusmodi actum sumptum formaliter aliquid rationis esse non fictum, sed supposititium, iuxta diuisionem entis rationis *suprà disp. 2. q. 3. commemoratam*, & *disp. 12. latius expositam*. Sumptum verò fundamentaliter, siue pro fundamentis, vnde desumitur, quid reale esse, quod omnibus denominationibus semiextrinsecis, è quarum genere est iste actus, commune est, ut *locis citatis* notauimus. Est autem hæc doctrina vera, siue differentia, cui actus faciendi differre conuenit, realiter distincta sit ab eo, quod facit differre, ut euenit, quando est differentia, physica; siue tantum distincta sit per rationem, ut quando est metaphysica. Nam & huiusmodi distinctio rationis ad entia rationis supposititia pertinet, non ad facta, ut explicauimus ibidem.

274 Aduertunt præterea in præsentia nonnulli Recentiores hoc esse obseruandum discrimen inter differentia, & diuersa. Quòd differentia, ut talia dicantur, in aliquo sui conueniunt debent, & per aliud discriminari. Diuersa verò illa dicenda veniunt, quæ setoris discrepant inter se. Verum huius obseruatio discriminis parum in vfu communi videtur esse, iuxta quem pro eisdem indiscriminatis solent usurpari hæc vocabula; quæcumque enim quouis modo, discriminantur inter se, tum differentia, tum diuersa vocari solent. Dicuntur autem ut plurimum aut differentia, aut diuersa quæcumque siue se totis, siue per aliquid tantum sui vel sunt inter se dissimilia, vel inæqualia, vel utrumque. Quæ verò circa omnem dissimilitudinem, atque inæqualitatem distincta tantum inuicem sunt, tamen si neque ita frequenter, neque ita propriè, interdum etiam diuersa, & differentia nuncupantur.

275 Venio iam ad agendum speciatim de differentiâ essentiali terrij prædicabilium essentialium de quo potissimè est quæstio præsens, constitutiva, quæ sub nomine *differentia* absolute, & sine addito pronunciatum intelligenda venit. In quâ quidem tria munera considerari possunt. Primum diuidere genus, siue illud ad propriam speciem contrahere. Secundum constituere speciem faciendo ut illa ab aliis speciebus discriminetur. Tercium posse prædicari de omnibus, de quibus species ipsa prædicabilis est. Igitur omisissis definitionibus Porphyrij propter rationem datam *q. 13. differentia*, quod attinet ad primum munus, sic potest definiti. *Differentia est diuisiva generis, & contractiva ad suas species*. Quod attinet verò ad secundum sic. *Differentia est, quæ constituens speciem, illam à cæteris discriminat, siue differre facit*. Quod attinet ad tertium sic. *Differentia est prædicabilis de multis ut pars essentia eorum communis alterius partis contractiva, & non contrahibilis*. Quatum definitionum duæ priores satis patent ex dictis nuper. Circa posteriorem foris aduerto, per illam particulam eius

prædicabilis de multis conuenire differentiam cum cæteris prædicabilibus vniuersalibus. Per illam autem *ut pars essentia eorum communis* differt ab omnibus accidentalibus, & ab essentiali speciei, conuenit tamen cum essentialibus generis, anonymo, & mixto; à quibus differt per definitionis residuum.

Conuenit autem hæc definitio omnibus differentiis, quæ in serie prædicabilium etiam considerantur subordinatæ, quatenus constituunt species subordinatas in tali serie. Omnes namque ab infima vsque ad supremam prædicabiles sunt de multis ut partes essentia eorum communis aliarum partium contractivæ, & non contrahibiles. Nisi, quod infima solum est ita prædicabilis de multis differentibus numero. Cæteræ verò (sicut & species, quas constituunt, quæ ipsæ etiam sunt genera) tum de pluribus differentibus specie, tum de pluribus differentibus numero ita prædicabiles sunt, e.g. rugibile, quæ est differentia infima constituens infimam speciem leonis, præter quam de ipsâ specie, de quâ prædicatur, ut de æquali solum est prædicabile ut de inferioribus prædicatione differentia de hoc, & illo, & alio leone, quæ sunt indiuidua immediata talis speciei. Sensibile verò, quæ est differentia intermedia constituens animal præterquam de animali ipso ut de æquali, ut de inferioribus est prædicabile prædicatione differentia tum de leone, equo, & cæteris animalis speciebus; tum de hoc, & illo leone, de hoc, & illo equo, & cæteris omnibus indiuiduis specierum ipsarum. Dico, prædicatione differentia: nam de propriis, & incompletis indiuiduis, quauis differentia est insuper prædicabilis ut species, quod omnibus prædicabilibus commune est, ut constat ex doctrinâ tradita *q. 1*. Sic sensibile prædicatur de hoc, & illo sensibili, rugibile de hoc, & illo rugibili, &c. Adde cæteras omnes differentias præter vnam infimam non solum esse prædicabiles prædicatione differentia de speciebus se inferioribus, & de indiuiduis completis speciei infimæ, sed insuper de indiuiduis incompletis tum reliquarum specierum se inferiorum, tum eius, quam vnaquæque constituit, e.g. vegetatiuum, quod est differentia constituens viuens, præterquam de viuentis ipso, ut de æquali, ut de inferioribus est prædicabile, prædicatione differentia non solum de animali, bruto, & leone, quæ sunt species ipso inferiores, & de indiuiduis completis leonis, sed etiam de hoc, & illo viuentis de hoc, & illo animali; de hoc, & illo bruto, &c. quæ sunt indiuidua incompleta speciei, quam vegetatiuum ipsum constituit, & reliquarum ab infima ipso inferiorum. De his quippe omnibus est prædicabile vegetatiuum ut pars essentia eorum communis alterius contractiva, & non contrahibilis.

Sed rogabis. An prædicatio, quâ vnaquæque differentia de specie, quam constituit, prædicatur ut de subiecto sibi æquali quoad vniuersalitatem prædicatio differentia dicenda sit spectans ad hoc prædicabile tertium, vel secus? Respondet certum esse eatenus dici debere prædicationem differentia ad hoc tertium prædicabile pertinentem, quatenus est prædicatio partis essentia communis subiecti contractivæ alterius partis, & non contrahibilis. Vtrum verò dicenda sit prædicatio differentia ut vniuersalis etiam respectu talis subiecti, vel ut æqualis ipsi, quæstio erit de modo loquendi arbitrio, & parui momenti. Ego arbitror quoduis prædicabile de multis vniuersale dici posse, imò & debere

debere non solum comparatione inferiorum, sed etiam comparatione aequalium, de quibus eodem modo prædicabile est, quia etiam aequalia intrant aggregatum eorum multorum, in quibus illud ut in subiectis potest inesse, & de quibus, ut de subiectis est prædicabile, quod ipsum est etiam respectu aequalium esse illud vniuersale. Prædicatio ergo differentie de specie, quam constituit, non solum differentia spectans ad tertium prædicabile, sed differentia ut vniuersalis dicenda prædicatio est. Quo eodem iure prædicatio, quæ species prædicatur de se ipsa, ut si dicas *homo est homo*, vel *animal est animal*, & prædicatio speciei, & speciei ut vniuersalis dici potest, & debet. Pariterque dicendum de prædicatione, quæ prædicabile anonymum de toto, quod constituit, tanquam de aequali prædicatur.

278 Iam verò ut ad secundam quæstionis partem accedam, vnum aduerto compendij gratiâ. Quæcumque circa definitionem primi, & secundi prædicabilis, generis scilicet & speciei, circa eorumque essentias 9. 13. & 14. aut resoluendo propositas ibi dubitationes, aut alio titulo adnotauimus. Pariter, proportionem seruata circa definitionem tertij, quod est differentia ut prædicabilis, & circa essentiam eius habere locum. Quocirca illa ad rem præsentem recognoscenda à legente, & applicanda sunt, ne in eisdem rescribendis operam, & tempus teramus.

279 Ergo circa secundam partem quæstionis eisdem diuisionibus est diuidenda differentia, quibus 9. 13. & 14. & 9. 7. genus, & speciem prædicabilia essentialia generatim diuisimus; videlicet in differentiam physicam, & metaphysicam; in prædicabilem formaliter, & prædicabilem identice. In prædicabilem directè, & prædicabilem indirectè. In substantialem, & accidentalem prædicabiliter. In incomplexam, & complexam. In positiuam, & negatiuam; ac denique in luptemam, intermediam, & infimam secundum seriem prædicabilium ipsis differentiis constitutorum, qualia sunt genera, & species. Vide huiusmodi diuisiones locis citatis explicatas. Addeque insuper differentiam specificam in differentiam speciei simpliciter dicta, & differentiam speciei logica diuidi posse, iuxta diuisionem harum specierum factam 9. 14.

280 Tandem circa tertiam partem quæstionis dubitatur primò: utrum differentie superiores in inferioribus includantur formaliter, de eisdemque formaliter prædicentur? Prima sententia affirmat, pro qua Rub. c. de differentiâ 9. 5. refert. Soncin. Sor. & Cantar. Secunda negat; pro qua sunt ipse Rub. cum Scot. Capreol. Tolet. Merc. & Fonsc. à se relatis. Necnon quoad primam eius partem, Petr. Hurt. disp. 6. log. sect. 3. & alij Recentiores. Idem tenet absolute Arriag. disp. 8. log. sec. 1. subf. 1. Addit tamen iuxta sententiam præscindendum obiectiue; quam ipse non sequitur, necessariò dicendum esse genus superius, & consequenter differentiam constitutiuam eius non posse non includi formaliter in differentia inferiori, quoties genus respectu huius transcendens est, quale esse putat genus viuents respectu differentie inferioris animalis, videlicet sensibilitatis, utpote, quæ ex conceptu suo vitale quid est, & alia huiusmodi. Existimat enim nullatenus posse apud præscindentes obiectiue à prædicatis transcendentes differentias præscindi.

281 Ego assero primò nullam omnino differentiam inferiorem includere in suo conceptu genus superius, aut differentiam superiorem constitutiuam

eius, esto genus superius transcendens prædicatum sit respectu differentie inferioris; quod, nam possibile sit, inferius suo loco decernam. Id mihi interim certum, genus viuents tale non esse respectu differentie animalis; quia genus viuents tantum dicit vitam vegetatiuam animalibus, & plantis communem, non item vitam sensitiuam animalium propriam. Ratio à priori assertionis est, quia differentia inferior ille præcisè conceptus est, quem species inferior addit supra integrum genus superius; repugnat autem id, quod supra integrum genus additur, imbibere in se genus ipsum, aut aliquid eius. Clarius species aliquid amplius dicit in suo conceptu præter totum genus, ut constat: ergo in eo alio, quod dicit, non includitur genus; alioquin in eo præter totum genus maneret aliquid generis, quod repugnat aperte. Sed illud aliud, quod præter totum genus dicit species, est quod vocamus differentiam. Ergo. Quomodo autem differentia quantumvis ponatur esse genus prædicatum transcendens, ab eo nihilominus sit præscindibilis obiectiue ex dictis disp. 13. 9. 10. constat, ampliusque constabit ex dicendis 9. 10.

Secundò assero. Licet differentia superior in inferiori non includatur formaliter, formaliter nihilominus de illâ prædicabilem esse, si utraque in concreto capiatur; quia ad prædicationem formalem concretorum talis inclusio necessaria non est, sed tantum quòd prædicatum, & subiectum quoad id, quod dicant in recto, quodque dumtaxat identificant verbum est substantiuum non solum à parte rei, sed etiam in mente nostrâ obiectiue sint idem. Quod euenit in nostro casu. Itaque hæc prædicationes formales sunt, siue veræ in sensu formali. *Rugibile est sensibile, Rugibile est animal, &c.* De quo vide plura dicta vniuersè supra disp. 2. quæstione 4. conclus. 4.

282 Secundò dubitant aliqui. Vtrum differentia inferior ex duabus, aut pluribus differentiis infimis partialibus coalescere possit? Respondeo posse. Si enim ex parte subiecti, de quo genus est prædicandum, sumantur simul cum specie constante differentia simplici aliæ eius proprietates, subiectum ex omnibus compositum, species erit subiicibilis constans iam differentia composita ex pluribus formalitatibus. Pone enim per vocem *leo* significari non solum has duas formalitates *animal rugibile*, sed insuper has duas *voracissimum, audacissimum*, quas pono esse proprietates leonis. Tum quid hæc prædicatio *leo est animal* prædicatio generis erit de specie, cuius differentia ex tribus illis formalitatibus erit composita *rugibile, voracissimum, audacissimum*. Quæ doctrina verissima est non solum quando species ex duobus generibus non subordinatis coalescit, in quo deceptus est Arriaga supra subf. 2. sed etiam quando vnicum tantum huiusmodi generum habet, ut satis, superque apparet ex regula datâ. Quin imò contra Arriagam ipsum in trepidè dicendum est, quando aliqua species ex duobus generibus non subordinatis coalescit, neque aliud illa prædicatum includit in suo conceptu, ut plerumque fit, tunc talia genera vicissim se se contrahere ad talem speciem. Atque adeo eam nullâ differentia, nulloque genere constare, quæ purè sint genus, & differentia, & ad prædicabile generis, & prædicabile differentie pertineant; sed duobus prædicatis mixtis ad aliud diuersum prædicabile pertinentibus, quod hæcenus prætermiserunt Logici, ut ex doctrinâ à nobis traditâ 9. 7. & sæpè in superioribus tactâ satis superque constat. Exemplum

plum habemus in homine, qui iuxta communem omnium consensum hæc duo prædicata duntaxat claudit in suo conceptu. *animal rationale*; & tamen in primo conuenit cum brutis, in secundo cum Angelis, in coniuncto amborum cum neutris, quod est illum nullâ purâ differentiâ nulloque puro genere constare; sed duobus prædicatis spectantibus ad prædicabile mixtum.

284 Tercio solet hîc dubitari. An compositio ex genere, & differentiâ sit realis, vel tantum rationis? Communis sententia eam ponit tantum rationis, contra Scotistas ponentes illam formalem ex naturâ rei. Ego communi sententiæ assentior, si sermo sit de genere, & differentiâ metaphysicis, quia hæc prædicata tantum per rationem distinguuntur (vtrum verò distinctione ex parte obiecti, an ex parte nostrorum actuum se habente, pertinet ad celebrem controuersiam de præcisione formalitatum, de quâ nos *suprà disputat. 13. quest. 9.*) si verò sermo sit de differentiâ, & genere physicis, dico compositionem ex illis realem esse, sicut distinctio eorum realis est; de quo etiam satis est iam à nobis dictum *quest. 7.*

285 Quarto dubitatur. Quid sibi velit illud commune effatum ducens originem ex Aristotele *lib. 8. Metaphysicæ, cap. ult. Genus sumitur à materiâ, & differentiâ à formâ.* Respondeo non aliud quidem, quam genus respectu differentiæ se habere, sicut se habet materia respectu formæ. Quemadmodum enim materia ex suo conceptu indifferens est, atque in potentiâ ad constituendas varias essentias per coniunctionem cum variis formis, & per talem determinatam formam ad talem determinatam essentiam actu constituendam determinatur. Ita genus ex suo conceptu indifferens est pariter, & in potentiâ ad constituendas varias essentias per coniunctionem cum variis differentiis, per talemque differentiam determinatam ad talem essentiam determinatam actu constituendam determinatur. Nec aliud voluit Aristot. *loco citato*, vt legenti textum palam erit. Quidquid nonnulli aliter prædictum effatum vsurpent.

286 Quinto denique dubitant hîc nonnulli, an differentia ex conceptu suo semper sit perfectior, quam genus? Alij affirmant, alique negant, vt videre est apud Rub. *suprà q. 6.* Ego verò resolutionem huius dubij in suum locum remitto. Vbi de perfectione formalitatum vniuersè tractandum est.

287 Porro, quæ de differentiâ vniuersali in totâ istâ quæstione diximus, differentiæ quoque indiuiduali, suâ seruata proportionem, bonâ ex parte conueniunt, facileque ei vnusquisque poterit illa accommodare, si prius bene perspectam habeat doctrinam de indiuiduis, quam dedimus *suprà quest. 10. 11. & 12.*

QVÆSTIO XVI.

*Quid sit prædicabile anonymum? quotuplex?
& quale?*

288 Dico, Est prædicabile de multis vt pars essentia eorum communis per alteram partem non contrahibilis, nec contractiua alterius. Per illam particulam prædicabilis de multis conuenit cum alijs prædicabilibus vniuersalibus. Per illam, vt pars essentia eorum communis differt ab specie, & à prædicabilibus accidentalibus. Per reliquam differt à

genere, & differentiâ, & prædicabile mixto.

Esse autem hoc prædicabile propterea à cæteris conditionum possibile ex dictis *q. 7.* satis constat: si enim ex parte subiecti prædicationis ponatur concretum ex essentia aliqua metaphysicâ, & ex duabus proprietatibus eius, de eoque altera tantum talium proprietatum prædicetur, prædicatio erit partis de toto nec contrahibilis per alteram, nec contractiua alterius ad nullamque propterea prædicabile præterquam ad hoc pertinebit, vt dicebamus *ibi.*

Dices. Ille essentia ex parte subiecti posita non potest non includere in suo conceptu aliud prædicatum saltem ex transcendentalibus se, & suis proprietatibus vniuersalibus: ergo prædicatio vnus dictarum proprietatum de subiecto includente dictam essentiam, prædicatio differentia erit, quâ ipsum subiectum, ipsaque essentia ab alijs differant, cum quibus in tali prædicato se vniuersaliori conueniunt. Prædicabile ergo anonymum præter tria essentialia chymericum est. Nego antecedens, primo, quia si essentia metaphysica pro exemplo posita sit conceptus vniuersalissimus omnium, qualis est conceptus entis, nullum poterit prædicatum habere se, & suis proprietatibus superius, vt constat. Quo cessat obiectio. Secundo, quia quæcumque talis essentia sit, cum præcisione ab omni prædicato etiam transcendentali se superiore poterit concipi, vt constabit ex dicendis *infra q. 20.* sicque cæcõpta affectaque, solis duabus suis proprietatibus pro subiecto poni prædicationis alterius earum. Quo iterum cessat obiectio. Sed esto, sume quamvis essentiam logicam ex genere, & differentiâ compositam, planèque proinde includentem prædicatum superius se, iungeque illi proprietatem æqualem ipsi. Si enim de concreto ex his tribus prædices ipsam essentiam logicam tanquam vnicum prædicatum sumptis videlicet eius duabus partibus indiuisum; prædicatio vtrique huius prædicabilis erit, neque ad aliud spectare poterit, vt si de concreto ex homine, & risibili prædices esse hominem, erit quippe prædicatio partis de toto alteri parti æqualis, atque adeo nec contrahibilem per illam, nec contractiuam eius. Ex quibus satis superque apparet hoc quartum prædicabile anonymum non solum possibile, sed inexcusabile esse.

Iam circa secundam quæstionis partem, eisdem illud diuisionibus diuidendum venit, quibus alia prædicabilia essentialia diuisa sunt, tum generatim *q. 7.* tum speciatim *q. 13. 14. & 19.* quas non opus est toties repetere. Recognoscantur *ibi.*

Circa tertiam verò quæstionis partem nihil occurrat, quod ad huius prædicabilis intelligentiam sit necessarium adnotare præter dicta iam circa prædicabilia generis, speciei, & differentiæ in præcedentibus quæstionibus, quæ etiam huic prædicabili communia sunt, & quæ generatim de omnibus diximus *q. 7. sæpè citata.*

QVÆSTIO XVII.

*Quid sit prædicabile mixtum, quotuplex,
& quale?*

Dico. Est prædicabile de multis vt pars essentia eorum communis per aliam partem contrahibilis simul, & contractiua alius. Per particulam prædicabile de multis conuenit hoc prædicabile cum cæteris prædicabilibus vniuersalibus. Per particulam, vt pars essentia eorum communis differt ab